



## Universitätsbibliothek Paderborn

### Historiae Ecclesiasticae Pars ...

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||  
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||  
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad  
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni  
magni ad trigesimum ...

**Christopherson, John**

**[Köln], 1569**

Quod de cruciferis quidam, cum fugisset interfectus est, qui fideliter  
permanserat, seruabatur illesus. Cap. IX.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29861**

## EVSEBII DE VITA

*Vbicumque in preliis crucis signium adfuit, ibi ilico  
consequutam esse victoriam.*

### CAP. VII.

**N**Am in qua parte istud crucis vexillum visum fuit, hostes fugam capere: victores persequi, Qua re intellecta imperator, sicubi partem aliquam sui exercitus languentem cernebat, ibi salutare illud vexillum, tanquam quoddam subsidium ad victoriam obtinendam locari mandavit. Cuius adiumentis, extemplo parta est victoria: quippe dimicantium vires diuina quadam potentia fuere admodum confirmatae.

*Quinquaginta ad portandum crucem delecti.*

### CAP. VIII.

**Q**Vapropter suis iussit satellitibus, qui & corporis robore erant, & virtute animi, & pietatis institutis imprimis eximii, ut in solam vexilli illius gubernationem omni cura ac studio incumberent. Erant viri non pauciores quinquaginta numero, quibus nihil aliud impositum erat negotii, quam ut vallarent undique vexillum, praesidiis munirent, singulique ordine, illud ipsum humeris gestarent. Atque ista quidem imperator ipse longo post temporis intervallo interiecto cum animo vacuo erat, nobis, qui hanc historiam scribimus, exposuit: addens etiam rem dignam esse, quae literis ad posterorum memoriam commendaretur.

*Quod de cruciferis quidam, cum fugisset interfectus est, qui  
fideliter permanerat, servabatur illesus.*

### CAP. IX.

**N**Am cum in media, inquit, belli dimicatione ingens forte fremitus & turbatio repentina exercitum occuparet, ille qui vexillum hoc portabat humeris, inter praeliandum primum praeformidine exhorrescere cepit: deinde alteri illud tradere, ut belli impetum effugeret. Postquam alter accepit, isteque fuit ex acie egressus, & extra vexilli praesidium locatus, telo coniecto in ventre confossus est, morteque sopitus concidit. Atque ut isti timiditatis & dissidentiae poenas luens, ibi mortuus iacuit: Sic ille qui salutare trophaeum, sublime & erectum portabat, omnino eius subsidio evasit incolumis: adeo ut  
sepe

sæpe cum tela frequentia ab hostibus in eum iacerentur, qui ipsum ferebat, saluus extiterat, & vexilli hastile, tela missa exceperit. Atque istud omnem plane superat admiratione, tum quòd tela ab hostibus iacta sic intra exiguũ illum & angustum hastilis ambitum prouolabant, vt in eodem fixa hærescerent: tum quod ille, qui illud ipsum gestabat mortem effugeret: Imò vero vt qui hoc ministerium obibant, nihil damni incommodive aliquando acciperent. Neq; certè hæc nostra est oratio, sed ipsius imperatoris, qui præter alias res, hanc etiam nobis coram memorauit. Qui vbi diuina potentia has duas primas victorias fuisset adeptus, de cetero, exercitu ordine instructo, vltèrius processit.

*Confluxiones varia, & constantini victoria.*

CAP. X.

QVI autem contrariarum partium erant, quiq; primũ dimicare cæperant, cum illius impetum abiectis armis, manu sustinere non possunt, ad pedes imperatoris acciderunt. Iste vtpote ex hominibus conseruandis voluptatem capiens, omnes excepit incolumes. At alii qui in armis se tenuerunt prælio instare. Quos primũ imperator benigne & humanitus, ad amicitia iungendam imitauit: Sed vbi, minimè obsequetes intelligebat, in eos dimisit exercitũ. Illi statim terga dâtes, in fugã vertuntur. Ex quibus deinde alii capti, iure belli interfecti sunt: nonnulli, alius in alium, ruentes, suorum gladiis decubuerunt.

*Licini fuga & incantationes.*

CAP. XI

POST hæc, qui hisce rebus principium dederat, cum videret se famulorum auxiliis orbatum, & exercitum, quem collegerat, profligatum, ac sociorum copias deletas, & spẽ in illis, quos ipse deos putabat, nihil posse ipsa iam experientia manifestò conuictam, tum se turpissimæ fugæ mandauit: Sicq; euasit incolumis, atque adeo extra vitæ periculum propterea fuit, quod pius imperator suis mandasset, ne omnino eum persequerentur, vt fugiendo salutem prospiceret, spes enim in eius infidebat animo, illum cum persentisceret, in quas incidisset calamitates, non modo ab infana temeritate desitutum